



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1634

Octavvs Dies.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)

EXERCITIORVM S. IGNATII. 237
nifestans, & crucis illud pondus (quod
solus poterat) fortiter ferens.

OCTAVVS DIES.

De quartâ Septimanâ.

Sicut prima Septimana ad viam
purgatiuam, & secunda ad illu-
minatiuam, sic quarta ad vnitiuam
spectat, in quâ sita est perfectio, vti
scriptum est: *Mihi autem adharere Deo
bonum est.* Psalm. 72. Vnio cum Deo in
hac vitâ fit mediantibus tribus animæ
potentiis, & bonorum operum exer-
cicio: nimirum, Memoriâ eum no-
bis præsentem sistendo; Intellectu pe-
netrando eius attributa & perfectio-
nes, & creaturarum eius excellentiam,
modumque quo ab ipso procedunt &
dependent; Voluntate nos per amo-
rem in eum transformando; & per
bona opera eiusque imitationem, & soli-
darum virtutum exercitium ei nos as-
similando. Status hic, sicut inter eos
quos

quos in hac vitâ consequi possumus, summus est & perfectissimus, ita est maximè vicinus & similis ei qui est in gloriâ: vbi Deus vnitus est Memoriae per suam continuam præsentiam, Intellectui per claram sui visionem, Voluntati per firmum solidumque amorem, toti deniq; animæ, ipsam in suam similitudinem transformando, vti dicitur: *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* 1. Ioan. 3.

In hunc finem totum nostrum iter spirituale dirigitur: nam sicut in gloriâ nos vltimo fini vnimur, eumque amplectimur tribus animæ potentiis, & perfectam eius essentiæ participationem per gratiam consummatam consequimur; sic in hac vitâ, statim à conuersionis nostræ initio, post propositum nobis in fundamento vltimum finem, ad illum tendere incipimus Exercitio trium potentiarum, & bonorum operum executione, quò efficaciter pertingere debet Voluntas, vt in sanctitate
&

& innocentiâ Deo similis fieri possit. Porro illa via, claritatis gratiâ, in purgatiuam, illuminatiuam & vnitiuam diuiditur. Et licet in omnibus illis ad Deum accedamus,

In primâ tamen maior habetur ratio termini quem deseruimus, vnde & discessimus; hoc est, à peccatis, passionibus, peruersisque inclinationibus & consuetudinibus: & ideò ea vocatur via purgatiua.

In secundâ, Ægyptiis, qui nos persequebantur, iam demersis, oculi nobis coniciendi sunt in vastissimi deserti iter, quod ad terram vsque promissionis extenditur; hoc, est ambulandum nobis est per longa virtutum spatia, amoris proprio, sensuali & mundano bellum indicendo, & reliquas electionum difficultates superando, donec ad medium virtutis perueniamus. Et quia hoc iter nobis aperit Christus Dominus noster, qui est vera lux mundi, ducemque se suo exemplo & doctrinâ nobis præbet, vocatur via illuminatiua.

In

In tertiâ, oculus iam coniicitur in terminum, in quo nobis sistendum est, & cui nos vnire, & in quo à labore quiescere debemus: & hinc via vnitiua vocatur, habetq; se instar viatoris, cui, cum eminens terminum, ad quem tendit, conspicit, reuiuiscunt vires, crescitque pergendi desiderium, ita vt nec oculos ab eâ ciuitate nec cogitationes remouere possit; imò in eâ iam cum omnibus suis potentiis & sensibus præsentem se imaginatur; omnisque eius in hoc versatur cura, vt tandem etiam corpore pertingere possit. Nam iis, qui ad hunc statum perueniunt, contingit, vt postquam peccata sua defleuerint, passiones suas mortificauerint, affectus contrarios superarint, seque in virtutibus generose exercuerint, noua eis oriatur lux, certa que quasi securitas, finem quem prætendunt adipiscendi: tantò autem eum desiderant vehementius, alacriusque ad eum tendunt, quantò magis ad hunc omnes animæ suæ vires habent collectas, quas antè, propter passiones

passiones suas malè mortificatas, in varia dispersitas effusasque habebant.

Hinc collige, quòd ille vnionis status, licet huius vitæ & perfectionis, quam hîc homo consequi potest, intuitu sit velut terminus, respectu tamen beatitudinis vitæque futuræ sit status itinerantis; & hinc vocatur via vnitiua: quia qui vnionem vocat, dicit terminum & quietem; & qui viam dicit, supponit motum & iter. Terminus est respectu præteriti, via respectu futuri. Sicut qui iter facit, cum iam oculis cernit locum ad quem tendit, ei que appropinquat, dicitur ad locum iam peruenisse respectu itineris facti: quia ciuitatem, turre & ignes videt, campanas, horologia, hominumque clamores audit, euntibus & redeuntibus occurrit; & hinc iam à viâ se aberrare non posse, nihilque occursum, quod ab introitu eum impedire possit, existimat, & sic aliquo modo dici potest ad ciuitatem peruenisse. Verùm si eos qui in ciuitate sunt consideres, verè adhuc iter

Q

facit,

facit, nec ad terminum peruenisse dicendus est; quia in iniquum aliquem locum incurrere potest, & labi, & in ipso etiam portu aliquando naufragij periculum est. Tandem, nullo modo subsistendum aut quiescendum illi est: si enim non pergat, ad terminum non perueniet. Hæc eadem, vt dictum est, eorum est fors, qui ad hunc statum peruenerunt, qui in hac quartâ spectatur Hebdomade.

Finis huius Septimanæ est, primus, clariorem Dei notitiam & amorem consequi; secundus, perfectior earum virtutum quæ charitatem sequuntur exercitatio.

Affectus, qui maximè hîc quærentur, sunt duo. Primus, Aliquid hîc gaudij eius & lætitiæ, quâ Beati in cælo perfunduntur, quamq; Deus suis communicare solet, prægustare. Secundus, Perfectè intelligere quid Deus nobis sit, cum affectu & desiderio reddendi vices, allaborandi que vt par pari referamus.

Quoad

Quoad primum, Multum nos iuuabit consideratio Resurrectionis & gloriae Christi, apparitionum, & solatij quo suos tum perfudit, eiusque quo eos, in maximis etiam persecutionibus afflictionibusque, recreare consuevit; Meditatio item de gloria Sanctorum.

Quoad secundum, Multum iuuabit consideratio perfectionum & beneficiorum Dei, eo modo qui in Exercitio amoris Dei nobis proponitur.

Meditatio de premio & consolatione iustorum.

VT in vnum colligamus, vnaque comprehendamus Meditatione omnes materias, quae gaudium laetitiamque spirituales in nobis excitare promouereque possunt, & hac quarta Septimanâ quærentur, poterunt considerari sequentia Puncta.

PRIMUM PUNCTUM est. Sicut IESVS CHRISTVS Dominus noster imago fuit iustitiae & sanctitatis, cui de-

Q 2

beat

bent se conformare omnes prædestinati (Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, &c.*) sic etiam est exemplum gloriæ, quâ omnes beabit. Consideremus ergo Gloriam CHRISTI IESU, quæ in eius Resurrectione apparuit; in quâ corpori communicatæ sunt quatuor dotes, impassibilitatis nempe, subtilitatis, agilitatis & claritatis. Item eius diuinitatem, quæ Passionis tempore quasi abscondita videbatur, tunc verò se manifestauit; Primò, in sui nominis exaltatione: tum enim eum agnouerunt, crediderunt, & adorarunt tamquam Filium Dei. Philip. 2. *Et donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Secundò, in plenitudine potestatis ei datæ. *Data est mihi omnis potestas, &c.*

Gaudeamus ergo, primò, de gloriâ CHRISTI, quam tantis sibi laboribus comparauit; secundò, de spe, quæ nobis aperitur, quòd tamquam membra participes simus futuri eius gloriæ, quâ caput nostrum potiri videmus.

Philip. 3.

Philip. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

SECUNDVM PUNCTVM. Hanc gloriam CHRISTVS Dominus noster incipit suis communicare in hac vitâ, quantum miser hic nostræ peregrinationis status ferre potest, primò, suâ prouidentiâ paternâ in necessitatibus temporalibus; secundò, abundantia donorum diuitiarumque spiritualium; tertio, spe æternæ retributionis.

Duo sunt quæ iustos hîc affligere solent, defectus & peccata commissa, & poenæ præsentis. In hisce duobus CHRISTVS perfecti consolatoris munere fungitur: peccata enim remissa gaudium & consolationem pariunt: uti filiis Israël magno solatio fuit, videre hostes suos Ægyptios submergi; & ut sanitas iis, qui cum diuturno morbo conflictati fuerunt. Præter hæc, in aduersis patientia securaque conscientia magni nobis gaudij materiam præbent, propter fiduciam in

Q 3 Deum,

Deum, qui in necessariis nobis non deerit: via enim Crucis securissimos nos reddit propter magnum gloriæ pondus, quod leue illud tribulationis nostræ in nobis operatur; & quia sic CHRISTO Domino similes reddimur, & Dei nos voluntati conformamus. Quæ omnia in nobis efficiunt, non tantum vt patientiam habeamus, sed etiam in tribulationibus, vt dicit Apostolus, gloriemur. Huius solatij, quod in hac vitâ à CHRISTO Domino nostro consequimur, exemplum habemus in eo, quod post Resurrectionem, quotiescumque Saluator noster suis apparebat discipulis, toties pacem suam eis & amicitiam, non obstante Petri negatione aliorumque scandalo, liberaliter offerret, dicens: *Pax vobis*. Ioannis 20. Vulnera sua rutilantia & gloriosa eis ostendens, quod ad patientiam & crucem ferendam eos animaret.

TERTIVM PUNCTVM. Vitam hanc nostram tandem excipit ipsa mors, quâ nõ exigua iustis solatij occasio offertur.

Primò,

Primò, Propter peculiare C H R I-
S T I Domini nostri auxilium. *Et si
abiero, & preparauero vobis locum; ite-
rùm venio, & accipiam vos ad meip-
sum.*

Secundò, Quia iis molestum non
est, mundi huius bonis tum spoliari,
qui dum viuerent, iis se exuerant,
fortiterque dimicarent, ne iis implica-
rentur: quinimò mors illis eo potius
titulo grata est, quòd molesto illos
hoste liberet, eximatque ex carcere, om-
niaque ita contemplationis perfectæ
impedimenta tollat. Psalm. 141. *Educ
de custodiâ animam meam, ad confiten-
dum nomini tuo.*

Tertiò, Non eos tum affligit ma-
la conscientia, sed potius eos recreat
bona; summæque eis consolationi est,
in præparationem ad mortem vitam
impendisse: nec tum remorsu illo &
angustiis quibus vexantur mali, fati-
gantur: ideò super illis verbis Luc. 12.
*Vt, cum venerit, & pulsauerit, confe-
stim aperiant ei, dicit S. Gregorius:*

Q 4

Qui

Qui autem de suâ spe & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia latus iudicem sustinet; & cum tempus propinqua mortis aduenerit, de gloriâ retributionis hilarescit.

Quartò, Quia tum iam gloriæ vicinus, quædam quasi eius initia percipit in quiete illâ & gaudio, in securitate & fiducia, perfectioreque Dei, Angelorum & Sanctorum notitiâ, &c. ita vt cum nouo illo quem haurire incipit aëre, anima è corpore egredi festinet.

QUARTVM PUNCTVM. In die iudicij etiam peculiariter lætabuntur boni.

Primò, Quia ex signis illis terribilibus, quæ in toto tum vniuerso parebunt, facilè colligent redemptionem & gloriam sibi imminere, vt ait Saluator Luc. 21. *Respicite, & leuate capita vestra, &c.*

Secundò, Propter gloriosi corporis resurrectionem; quæ perinde se habet, quasi Deus hominem crearet, nouamque ei vitam infunderet & gloriam
nouam,

nouam , ita vt hinc in facris Litteris ea vocetur regeneratio.

Tertiò , Propter separationem illam bonorum à malis, qui , dum in mundo viuerent , erant inuicem permixti. Matth. 25. *Et statuet oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris .* & propter loci nobilitatem , ad quem boni tum transferentur : nam damnandis in terrâ consistentibus , eique quasi affixis, boni , vt dicit Apostolus , leuabuntur in aëra , vt sic CHRISTO in nubibus gloriosè occurrant.

Quartò , Quia eorum tum merita toti mundo innotescant , eosque tum coram Patre suo & Angelis confitebitur, & tamquam suos agnoscet IESVS CHRISTVS , omnibusque honoribus cumulabit. Ioan. 12. *Honorificabit eum Pater meus, &c.*

Quintò , Propter dignitatem illam iudicialem , quam super impios accipient : nam per eorum opera & exempla impij illi condemnabuntur. Matthæi cap. 19. *Sedebitis & vos super sedes*

Q 5

*des duodecim, iudicantes duodecim tribus
Israël.*

Sextò, Propter optatissimam, eamq; definitiuam, quæ in causâ salutis æternæ à Iudice feretur sententiam, regniq; æterni possessionem. Si enim cum his aliqua in hoc mundo super pauculis obolis fauorabili sententiâ concluditur, tantum sit gaudium; quanta erit iustis lætitia in die illâ, quando suis ipsi auribus audient, *Venite benedicti Patris mei?* Matth. 25.

QVINTVM PUNCTVM. Sequitur sententiæ illius executio cum præmio æternæ gloriæ: in quo, quæ Deus diligentibus se parauit, *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* 1. Corinth. 2. hoc tantum scimus, quòd regnum illud sit regnum Dei; in quo IESVS CHRISTVS est Rex, eiusq; sanctissima mater Regina, & aulici, omnes Angeli & Sancti Dei. Qui omnes ita inter se & cum suo Rege vniti sunt, velut cum suo capite membra. Scimus quòd anima ibi sit futura in suo
centro,

centro, possessioneque vltimi finis, qui consistit in clarâ visione Dei: item, quòd omnes ibi sensus perfruentur voluptatibus, quæ istius loci puritati, & magnificentiæ, & animæ, quæ tota in Deo absorpta est, congruunt. Scimus item, quòd locus ille altissimus sit in cælo empyreo, in quo Agnus suas celebrabit nuptias, & amicos suos clarâ diuinitatis suæ visione tamquam conuiuio excipiet, eosque omni voluptate & deliciis æternùm duraturis, quas in suæ omnipotentis sapientiæque secreto apud se conclusas habet, munificentissimè perfundet: hoc scilicet est quod Deus suis præmium promisit; ex cuius consideratione resultabit omnium rerum creaturarum contemptus, constantia in laboribus piis ferendis, prægustatio æternorum bonorum, perfecta cum Deo coniunctio & amor, solidarum denique, quæ à perfectâ proueniunt charitate, virtutum exercitatio.

Medi-

Meditatio de amore Dei.

AD maiorem huius quartæ Septimanæ notitiam, hodie institui potest Exercitium de amore Dei, ut in fine quartæ Septimanæ Exercitiorum S. Patris nostri habetur.

Textus Exercitiorum sancti Patris nostri sic habet:

Contemplatio ad amorem spirituales in nobis excitandum.

IN primis duo notanda sunt. Primum, Quòd amor ipse ab operibus magis quàm à verbis pendet. Secundum, Quòd amor consistit in mutuâ facultatum, rerum & operum communicatione, puta scientiæ, diuitiarum, honoris, & boni cuiuscumque.

ORA-

ORATIO præmittitur ex more.

PRAELVDIVM PRIMVM est, vt coram Domino, Angelis Sanctisq; omnibus mihi propitiis stare me videam.

SECVNDVM, vt gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum eius in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem, cultum & seruitium ipsius totum me impendam.

PVNCTVM PRIMVM sit, reuocare in memoriam beneficia creationis ac redemptionis, dona itidem particularia seu priuata enumerare, & cum intimo affectu perpendere, quantum meâ causâ benignissimus Dominus egerit atque pertulerit; quantum mihi elargitus sit de thesauris suis, quodque, iuxta diuinum suum decretum & beneplacitum, seipsum mihi, quantum potest, donare velit: quibus optimè
in-

inspectis, vertar ad meipsum, & disquiram mecum quæ meæ sint partes, & quid æquum iustumque sit ut diuinæ offeram & exhibeam Maiestati; haud sanè dubium, quin mea omnia offerre debeam ac meipsum cum summo affectu, & verbis huiusmodi vel similibus: Suscipe Domine uniuersam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum: amorem tui solum cum gratiâ tuâ mihi dones, & diues sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

SECUNDVM erit, Speculari Deum in singulis existentem creaturis suis; & elementis quidem dantem, ut sint; plantis verò, ut per
 vege-

vegetationem quoque viuant ; animalibus insuper, vt sentiant ; hominibus postremò, vt simul etiam intelligant : inter quos accipi & ipse vniuersa hæc beneficia, esse, viuere, sentire ac intelligere ; neque templum quoddam suum efficere voluit, ad imaginem suam & similitudinem creatum. Ex quorum omnium admiratione, reflexus in meipsum, agam vt in primo Puncto, vel melius si quid occurrerit. id quod in Punctis etiam sequentibus erit factitandum.

TERTIVM est, Considerare eundem Deum ac Dominum propter me in creaturis suis operantem & laborantem quodammodò, quatenus dat ipsis, conseruatque id quod sunt, habent, possunt atque agunt. quæ omnia, vt supra, in mei considerationem reflectenda erunt.

QVAR-

QUARTVM, Prospicere quo pacto munera & bona omnia cælitus descendunt, ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia, & alia qualibet humana perfectio terminis quibusdam certis circumscripta, quæ ab infinito illo totius boni thesauro, sicut lumen à sole, & ex fonte aqua, deriuantur. Addenda superest reflexio prædicta in mei circumspeditionem: colloquium etiam in fine fiet, terminandum cum Pater noster.

Declaratio huius Exercitij.

NOTA PRIMA.

INitio huius contemplationis duæ ponuntur Notæ: quarum prima desumpta est ex Prouerbio Hispanico, Amor in rebus, non verbis consistit; & ex eo quod dicit Apostolus 1. Ioan. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque*
linguâ,

linguâ, sed opere & veritate. Amor ille in Deum, qui in solis consistit verbis, est ille qui in solis cærimoniis externis hæret; de quo dicitur Psal. 77. *Et dilexerunt eum in ore suo, & linguâ suâ mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo.* non enim rectâ illud in Deum dirigebant. De talibus loquitur ipse Saluator Luc. 6. *Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Vnde patet, quòd verba, quantumvis bona, bonorum operum defectu à Deo tamquam ficta rejiciantur.

Amor, qui in verbis consistit, est etiam is qui in affectibus voluntatis hæret; & ille vel est fictus, vel debilis, cui nempe ad executionem vires desunt: ille verò qui in operibus est, efficax est ad opera, & se ad perfectam mandatorum Dei obseruantiam & eius consilia amplectenda extendit, & beneplacito diuinæ voluntatis, quantum in hac vitâ fieri potest, se conformat. Illam Saluator nobis regulam præscribit, quâ

R in

in amoris huius notitiam veniamus. *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea servate. & Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me*. Ioan. 14. Et ille amor fortis & operator vocatur. Pfal. 118. *Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiae tuae.* & Psalm. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.*

NOTA SECUNDA.

HAc Notâ declaratur in quo operum genere amor hic consistat; in eo nempe, quòd amicus amicum bonorum suorum participem faciat. Quare sibi nemo persuadeat, quòd gratis amorem hunc sit consecuturus; sed magno ei constet necesse est, etsi id fieret cum omnium bonorum suorum dispendio. Ideò qui in hoc amore serìò se exercere desiderat, ad bonorum omnium, honoris etiam & commoditatum suarum iacturam, si necesse foret, quòd amato seruire & placere

cere possit, sibi subeundam paratus sit; & sanitatem, scientiam & talenta omnia lubens etiam in eius obsequium & beneplacitum impendat. Quæ omnia optimè respondent secundæ Septimanæ, ubi agitur de imitandâ IESV CHRISTI paupertate & humilitate, non tantum affectu & voluntate, sed effectu etiam & re ipsâ; non tantum maiori, sed & pari Dei gloriâ & obsequioposito, quo magis se ei similem efficiat.

PRAELVDIVM PRIMVM.

IN primo Præludio Deum mihi præsentem imaginabor vultu benigno & amico, Angelis & Sanctis suis circumdatum, qui pro me apud eum intercedant: ista enim loci compositio fidem auget, spem roborat, & ad amorem, qui huius Exercitij finis est, excitat.

PRAELVDIVM SECVNDVM.

IN hoc secundo Præludio docemur, in quid toto hoc Exercitio, seu con-

R 2 tem-

/ a
 templatone, ad amorem excitandum,
 collinere debeamus ; & quomodo
 cum duabus illis Notis , quæ eius fun-
 damentum sunt , conueniat . Nam si
 amor in operibus consistit , & quidem
 in operibus reciprocis & bonorum
 communicatione inter eos qui se inui-
 cem amant , videndum est quomodo
 Deus homines amauerit , & quâ eos
 munificentia bonorum suorum om-
 nium participes fecerit , vt ad similem
 erga Deum liberalitatem se homines
 excitent , amoremque illum Dei erga
 homines, non solum vt excitamentum
 & amoris fomitem , sed etiam tam-
 quam normam & exemplum eius quo
 in Deum vicissim ferri debent , sibi
 proponant ; iuxta illud 1. Ioan. 4. *Non
 quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam
 ipse prior dilexit nos. & : Nos ergo di-
 ligamus Deum, quoniam Deus prior dile-
 xit nos.* Et hic finis est huius Exercitij,
 & fructus quem ex eo colligere debe-
 mus : quod ipsum in hoc secundo
 Præudio à Deo petimus , vt nempe
 magni-

magnitudinem beneficiorum eius perspiciamus. Et hæc est notitia liberalitatis quâ Deus erga nos vsus fuit, & beneficiorum quæ à liberali eius manu accepimus, quò eorum magnitudinem perspicentes, ad amorem & obsequium diuinæ Maieftatis nos impendamus: hoc est, vt ego, tantam in me Dei munificentiam considerans, disquiram quæ meæ vicissim sint partes; & an non iustum sit & æquum, vt totum ego me diuinæ Maieftatis obsequio amorique consecrem. Et in eâ gratitudine diuiniq̃ue amoris imitatione fundantur quatuor amoris erga Deum gradus, in quatuor Puncta partiti.

PUNCTVM PRIMVM.

IN hoc primo Puncto **NOTA PRIMO**, quòd materia Meditationis in hoc primo amoris gradu sunt beneficia diuina; quæ rationes valdè prægnantes & copiosas, quibus hic in no-

R 3 bis

bis excitetur amor, suppeditant: quia,
 vt communi Prouerbio dicitur, Dona
 & munera altissimos etiam montes
 penetrant. & Salomon Prouer. 22. *Qui
 dat munera, animam aufert accipientium.*
 Beneficia hæc à S. Patre nostro ad tria
 reducuntur capita, Creationis nempe,
 Redemptionis, & Donorum particu-
 larium. Sub Creatione comprehen-
 ditur esse animæ & corporis, cum om-
 nibus suis membris, potentiis & sensi-
 bus; item conseruatio, cum omnibus
 bonis naturalibus quæ ad illam diri-
 guntur. Sub Redemptione, omne
 quod **C H R I S T V S** Dominus noster
 fecit, & pro nobis in corpore suo mor-
 tali passus est; vti & Sacramenta, quæ
 pro nostrâ omnium salute instituit.
 Dona particularia sunt innumera, &
 quotidiana, eaque diuinam prouiden-
 tiam & peculiarem Dei erga nos amo-
 rem nobis solent clariùs detegere, nos-
 que magis obligare ad gratitudinem ei
 vicissim amoremque reddendum. Et
 hæc sunt quæ ad materiam Medita-
 tionis

tionis pertinent, in quâ memoria sese occupare debet.

NOTA SECUNDO Circumstantias quæ in singulis illis beneficiis ponderandæ sunt; quæ ad tres reducuntur.

Prima, *Quantum meâ causâ benignissimus Dominus egerit*, tam in creatione & conseruatione, quàm in redemptione, tantum agendo & patiando, vt meis prospiceret necessitatibus.

Secunda, *Quantum mihi elargitus sit de thesauris suis* tam in donis naturalibus quàm gratiæ, diuitiisque, quibus me ornauit. Et in illis verbis, *quantum de thesauris suis mihi elargitus sit*, peculiarem vim facit, alludendo ad ea quæ in secundâ Notâ dictæ contemplationi præfiguntur: *Amor consistit in mutuâ facultatum & operum communicatione, puta scientiæ, diuitiarum, honoris & boni cuiuscumque*. Et hîc mihi considerandum, quàm abundanter Deus Dominus noster hoc ex suâ parte compleuerit, & quantum mihi de thesauris suis elargitus sit.

R 4

Tertia,

Tertia, Ponderandum valdè quid nobis dederit, & quid nobis dare velit; quòd nempe, præter ea quæ nobis dedit *iuxta diuinum suum decretum & beneplacitum, seipsum mihi, quantum potest, donare velit.* In omnibus porrò beneficiis quæ Deus nobis præstitit & præstare vult, circumstantia illa benè notanda est, quòd numquam eius liberalitas iis exhauriatur aut imminuatur, sed potius ei crescat desiderium maioribus eam beneficiis augendi: quæ omnia eò diriguntur, vt seipsum nobis in pacificâ gloriæ suæ possessione donet.

NOTA TERTIO Fructum qui ex hac Meditatione hauriri debet, hunc esse: *Vertar ad meipsum, & disquiram mecum quæ meæ sint partes, & quid æquum iustumq; sit vt diuinæ offeram & exhibeam Maiestati; haud sanè dubium, quin mea omnia offerre debeam ac meipsum.* Et hæc verba, *quæ meæ sint partes, & quid æquum iustumque sit vt diuinæ offeram & exhibeam Maiestati, &c.* ideò posuit, vt respondeant verbis similibus quæ ex parte

parte Dei erant posita, *quantum mihi de thesauris suis largitus sit*. Sic enim completur quod in secundâ Notâ dictum est; quòd *amor consistat in mutuâ facultatum & operum communicatione*, &c. ita vt homo, se tantâ beneficiorum & misericordiarum Dei mole obrutum sentiens, illa verba, quæ sanctum illum Regem David sollicitum habebant, frequenter repetere debeat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* &c. & in se nihil quod suum sit Deo dignum reperiens, Deo totum, quod ab ipsius liberali manu accepit, restituat, diuinæ Maieitati corpus cum omnibus sensibus, animam cum omnibus potentiis, libertatem, bona omnia, salutem, honorem, ipsam denique suam vitam offerendo. ac si diceret: *Quidquid habeo vel possideo mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum.* Hinc orietur vt deinceps se consideret tamquam rem alienam, non suam, & nouo titulo in vicem

R 5 bene-

beneficiorum Deo obnoxiam.

NOTA QUARTO, Quòd S. Pater noster, velut magnus vitæ spiritualis magister, à primo primæ Septimanæ Exercitio, in quo timorem in nobis excitare conatur, & ab initio viæ purgatiuæ vsque ad conclusionem viæ vnitiuæ, & postremum quartæ huius Septimanæ Exercitium, in quo nos ad amorem excitat, totum illum meditando & contemplandi modum fundet in vsu & exercitio trium potentiarum; vt clarè patet ex partibus huius primi Puncti, & ex tribus quas attulimus Notis.

Quia primum est, in memoriam reuocare beneficia accepta, ea ad certa capita pro memoriæ subsidio reducendo; vt in primâ Nota dictum est.

Secundum, summo affectu circumstantias omnes beneficiorum considerare, quas ad tres reducebamus: quod ad intellectum pertinet; vt in secundâ Notâ apparet.

Tertium, se totum Deo offerre, &
summo

summo affectu ad mandatorum eius obseruantiam se accingere : quod voluntatis est ; vt in tertiâ Notâ. Et sic in sequentibus Punctis procedendum est.

PUNCTVM SECVNDVM.

Secundus amoris gradus est , non tantùm se suaque omnia ad diuinæ voluntatis obsequium obtulisse, sed etiam omni cum actuali reuerentiâ & consideratione (quantum miseri huius exilij status, & diuinæ gratiæ fauorisq; lumen permittit) Deum sibi præsentem statuere . Nam sicut Regis alicuius subditi fideles, qui se totos eius obsequiis & obedientiæ manciparunt, non omnes illi adsunt, aut in eius familiâ coram eo versantur ; sic omnes qui Deum amant, eiusque se seruitio consecrarunt, non semper in eius præseniâ cum actuali attentione assistunt. Et sicut cùm aliquis semper suo Principi adest, animi eius sensa, etiam in rebus minimis & particularibus, ex eius vultu facilè percipit; sic fructus, qui
ex

ex illâ actuali præsentia hauritur, ille præcipuus est, ex luce diuini eius aspectus accipere clariorem beneplaciti eius cognitionem, quod maximè iis in votis est, qui illud explere desiderant; iuxta illud Coloss. i. *Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius.* Vt ad gradum hunc amoris perueniamus, multùm iuuabit secundum Punctum huius Exercitij: in quo

NOTANDVM, Quòd materia eius sit, in memoriam reuocare, & considerare, quomodo Deus in suis creaturis existat: & quòd non solùm eis beneficia præstet, sed illis etiam per se præsens sit, quòd illas conseruet: *elementis*, dando illis *vt sint*; *plantis* verò, *vt per vegetationem quoque viuant*; *animalibus*, *insuper vt sentiant*; *hominibus* postremò, *vt simul etiam intelligant.* Quia verò plus propriis mouemur beneficiis quàm alienis, intellectu ponderandum est, quomodo omnes existendi gradus, qui in reliquis crea-

crea-

creaturis sparsim inueniuntur, in ho-
 mine simul collecti reperiantur, om-
 niumque eorum ratione Deus præfens
 fit: in me, dando vt sim, vt viuam,
 vt sentiam & intelligam. Quæ omnia
 beneficia sunt spectantia ad creatio-
 nem. Et super omnia, me *templum*
quoddam suum efficere voluit: qui par-
 ticularis quidam modus est, quo Deus
 homini, & non aliis creaturis corpo-
 ralibus, præfens est: quia in homine,
 tamquam Dei imagine & similitudine,
 innotescit Deus, creditur, & amatur,
 coliturque velut in suo templo. Porrò
 cum Deus homini tam arctè per suam
 præsentiam se communicauerit, restat,
 vt homo in se reflexus tanto beneficio
 respondeat, in Dei se semper præsen-
 tiâ statuens, oculis illum suis repræ-
 sentans, certoque sibi persuadens, in
 ipsius semper se oculis versari: vnde
 sequitur, quòd in primo amoris gradu
 homo se totum Deo eiusque diuino
 beneplacito offerat; in hoc autem se-
 cundo vlteriùs procedit, quia magis
 se

se

se diuinæ Maiestati per eius præsentiam coniungit, lumenque accipit, quo, quid maximè eius diuinæ voluntati circa suas actiones gratum sit, clarè cognoscatur.

PUNCTVM TERTIVM.

Tertius amoris gradus est, voluntatem Dei executioni mandare in Dei præsentia, & cum hominibus sic conuersari, vt illa cum Deo familiaritas non intermittatur, & ita laborare, vt nullam internæ quietis iacturam incurrat; ita vt præsentia Dei addatur executio voluntatis Dei. Hoc ipsum inuenitur in Dei erga nos amore, vt benè S. Pater noster in tertio Puncto his verbis: *Tertium est, considerare eundem Deum ac Dominum propter me in creaturis suis operantem & laborantem quodammodo, id est, habentem se ad modum laborantis, quatenus dat ipsis, conseruatque id quod sunt, habent, possunt atque agunt. quæ omnia, vt supra, in mei considerationem reflectenda erunt.* Vt intelligam

ligam quæ illa fit in me ipsum reflexio mihi necessaria; quò respondeam tertio isti amoris gradui,

NOTANDVM PRIMO, Quòd sicut Dei præsentia in creaturis non est otiosa, sed eas regit, mouet, gubernat, & cum illis operatur, & quodammodò laborat, semper & vbique illarum operationibus & motibus inuigilando; sic & in nobis Dei præsentia non debeat esse otiosa, sed laboriosa & operatiua, & quæ Dei voluntati perficiendæ nusquam se subducat. *Seruus enim qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Velut etiam iustam domini sui indignationem incurrit seruus liberaliter & lautè habitus, qui, quò domini sui præsentia non priuetur, operari aut laborare non vult: econtrariò, ad maiorem cum domino suo familiaritatem admitti meretur seruus ille, qui lubens se aliquando eius conspectu priuat, quò laboret, ei que seruiat. Alioqui enim continget charitatem

tem otiosam destitui notitiâ eius quod facere debet; eumque, qui, dum lucem habet, non ambulat, luce, dum ambulare volet, priuari, & tenebris inuolui.

NOTANDVM SECVNDO, Quòd etiamsi Deus Dominus noster totius mundi omniumque creaturarum motibus & operationibus, pro singularum & cuiusque conditione & necessitate, inuigilat, non tamen à parte rei eum illa cura & labor distrahat aut fatiget; quia semper in se & secum manet, semperque in suæ quietis centro pacatè quiescit: sic etiâ homo, qui hunc amoris gradum consecutus est, ita operari debet, ut à se non exeat, sed, in se semper manens, sibi inuigilet, & operibus suis ita se accommodet, ut ab iis se abripi non sinat; sit suarum actionum sui que ipsius dominus, ut verè in libertatem filiorum Dei transisse, dici possit. Hoc consequetur, si sibi & Deo benè unitus, occupationum suarum varietatem ad vnum solum finem reducat, vnumque

que tantum in iis intendat & quærat, aliaque omnia tamquam accessoria & parui momenti reputet. Id autem, in quod collimare debet, est, summè diuinæ bonitati placere; eique, tamquam regulæ, & omnis quod in nobis boni est origini, se conformare.

PUNCTVM QVARTVM.

NOTANDVM hîc PRIMO, Quod materia Meditationis in hoc quarto amoris gradu sint omnes perfectiones diuinæ; in quo magnus nobis Meditationum campus detegitur, magnaque incentiua amoris: item aperitur via perueniendi ad notitiam diuinarum perfectionum, per vestigia perfectionum quas in rebus creatis animaduertimus. & hoc est quod dicit, *Prospectare quo pacto munera & bona omnia celitus descendunt, ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia, & alia qualibet humana perfectio.* Illas enim perfectiones eo modo creaturis communicat, ut iis non spoliatur; & ita eas distribuit,

S

VT

vt omnes in se seruet; easque simplicissimâ perfectione, quæ est omnium bonorum scaturigo, in se vnit.

NOTANDVM SECUNDO, Quomodo in meipsum reflecti debeam in hac diuinarum perfectionum consideratione; Primò, *exuendo me, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, vt affectum vniuersum in ipsarum Creatorem conferam, eum in omnibus creaturis amando (quandoquidem in illis vestigia diuina pulchritudinis se prodant) & omnes in eo, iuxta sanctissimam & diuinam ipsius voluntatem; vt dicit sanctus Pater noster in P. 3. Constit. c. 1. §. 26. Et meritò, quia omnes creaturarum perfectiones longè perfectiore gradu in Deo inueniuntur: nam, vt dicit Sap. cap. 13. Quorum si specie delectati, deos putauerunt; sciant quantò his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creatura, cog-*
nosci-

noscibiliter poterit creator horum videri.

Secundò, non tantùm me debeo amore creaturarum exuere, sed etiam mei ipsius, vt in Deum transferam, à quo totum meum esse meaqué perfectio dependet, tamquam à sole radij & à fonte aquæ deriuantur. Sicut enim radiorum conseruatio à sole, & aquæ fluxus à fonte potiùs quàm à seipsis dependet; sic bonum hominis à Deo potiùs quàm ab ipsomet homine. Deus enim fons est perennis illius existentiæ & omnis boni. Et hinc fit, vt homo, sibi suisque viribus tantùm innixus, facilè cadat; & se amando animam suam perdat, & se odiendo eam inueniat, vt in Euangelio. *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animã suam in hoc mundo, inueniet eam.* Hinc sequitur, quòd quis se non debeat considerare velut rem suam aut alterius alicuius, sed Dei; à quo in suo esse spirituali & corporali, tamquam ab omnium perfectionum & existentiæ infinitæ Dei pelago, dependet. Atque

hinc nascitur libertas spiritus, quâ totis intentionis suæ amorisque viribus ad Deum euolet. Cui enim potius seruias, & placere studeas, quàm ei, in quo omnium creaturarum perfectiones infinitis gradibus nobiliores reperias? Cum iam quis ad hunc statum peruenerit, quantumcumque varia sint eius opera, finis tamen quem sibi proponit, vnus idemque est; eumque semper consequitur, si creaturis omnibus, tamquam si non essent, oculos occludendo, aliud non quærat, quàm diuinæ Maiestati propter seipsam placere. Contingere enim potest, vt singulorum operum fines considerando, actiones nostræ diuersos subeant status: aliquando enim erunt in principio, aliquando in medio, aliquando in fine, & frequenter, propter varia quæ occurrunt impedimenta, finem non consequuntur; verum, si consideremus intentionem eius qui operatur, deprehendemus, numquam à fine suo aberrare. Quia in quocumque statu opus illud fuerit, is qui eâ intentione operatur, sem-

femper finem consequitur, qui est, Deo in suis operibus placere: quare nullus successus aut contradictio impedire potest, quin finem suum consequatur. Ideò multum est eò peruenisse, vt clarè quis intelligat, quomodo munera & data optima de sursum sint; & quòd ibidem sint infinita potentia, bonitas, sapientia, misericordia & omnis pulchritudo, vnde istæ proprietates deriuantur, quas tam limitatè videmus creaturis communicatas. Multum etiam est, cælos per radios suos detexisse, & per riuulum ad fontem peruenisse, & centrum, in quo tanta creaturarum perfectionum varietas se iungit & vnit, inuenisse: ibi enim amor noster quiescet, nec ad aliud quærendum se mouebit. Et hoc est Deum totâ mente, & ex totâ animâ omnibusque viribus amare. Quia verò, qui ad hunc statum perueniunt, de aliâ re solliciti non sunt, quàm vt Dei in terris voluntatem faciant, sicut ea fit in cælis; ideò alio non tenentur desiderio, quàm vt, terrâ hac desertâ,

cælos petant, quò emendent quod in mandatorum Dei obseruatione eis defuit; nec vlla bona temporalia ita illis cordi sunt, quin illa facilè, si Deo ita visum fuerit, sint deserturi: nullaque eos hîc ita detinent negotia, quin similes sint seruis, qui, cùm venerit dominus, & pulsauerit ianuam, confestim aperiant ei.

Præter hos quatuor amoris gradus, quid aliud restat, quàm vt amor ille non sit delicatus, sed robustus; non effeminatus, sed fortis & virilis; qui quoduis pondus ferre, quasuis difficultates superare, & quoduis etiam damnum contemnere possit, potiùs quàm vt hoc se amore priuet, leges transgrediatur, aut Dominum Deum suum in minimâ etiam re offendat. Cantic. 8. *Fortis est vt mors dilectio*. nec ab eâ morte fugiat, eique terga vertat; & sic eam vincet, si propter amorem eam ferat. Flamma eius ita in altum feratur, tantaque fit, vt si multæ in illam aquæ & abundantes tribulationum de-

defluant riui, ei sint instar roris qui in fornacem delabitur, & ab eâ absorbetur & consumitur, eamq; magis accendit: ita sibi suisq; rebus inuigilet, vt si omnia ei mundi bona offerantur, quò hoc se amore exuat, omnia potius pedibus subiiciat, &, tamquam si nullius forent pretij, contemnat.

Huius charitatis fructus sunt, additum esse paupertati, famem, nuditatem, frigus & laborem, quæ paupertatis affeclæ sunt, lubenti animo tolerare, iniurias & morbos patienter ferre, persecutionibus non deiici, in tentationibus animum non despondere, infirmitatibus proximi compati, eiusq; imperfectionibus aut ingratitude non offendi, in ariditatibus spiritualibus constanti animo Exercitiis spiritualibus insistere, in consolatione sui non obliuisci, vt tandem cum Apostolo dicere possit, Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia*
 S 4 *neque*

neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESU Domino nostro. In quæ verba S. August. dicit: Nemo poterit nos separare à charitate Dei, etiam mortem minando; quia Deum non amare, vera mors est: nec vitam promittendo; quia eum amare, vita est. Nec Angeli nos separabunt; quia uniti cum Deo Angelis fortiores sumus. Nec Virtutes, quæ in hunc mundum potestatem habent; quia Deum amando, mundo superiores sumus. Non molestia presentes; quia Dei amor eas leviores facit. Non spes futurorum; quia qui Deum amant, iam omnia possident presentia. Non altum, nec profundum. Quid enim potest mihi calum offerre, ut eum deseram qui ipsum condidit calum? Et quid mihi potest minari infernus; quo amorem Dei deseram, quem si non deseruisssem, quid infernus est ignorarem? Hæc omnia sunt S. Augustini.

DE